

Prot. N.
 Impedimenti ab ordinibus exercendis
 (Rev.dus recurrens — Congregatio pro Clericis)

In causa de qua supra, Em.mus Archiepiscopus _____ die 1 martii 1994 Rev.dum recurrentem vi can. 1044, §2, 2°, impeditum ob ordinibus exercendis declaravit. Cuius decisionis revocationem Rev. dus. rec. die 5 martii 1994 frustra petiit, quia Em.mus Ordinarius die 21 martii 1994 remonstrationem

reiecit. Recurrit tunc Rev.dus recurrens die 19 aprilis 1994 per Procuratorem Rev.dum. procuratorem ad Congregationem pro Clericis quae autem die 15 decembris 1994 impugnata decisionem confirmavit. Rev.dus recurrens die 31 decembris 1994 decretum Congregationis per publicos tabellarios recipit.

Petita dein a Rev.do. Procuratore Rev. di. rec. die 6 ianuarii 1995 quadam ulteriore notitia a Congregatione pro Clericis, quam haec die 16 ianuarii 1995 dedit, quaeque die 7 februarii 1995 ad Rev.dum. Procuratorem pervenit, ipse Procurator Rev. di. rec. litteris diei 22 martii 1995 ad hoc Supremum Tribunal recurrit, sed recursus a limine decreto Exc.mi. Secretarii diei 10 iunii 1995 reiectus est “ob terminum peremptorium, de quo in art. 123, §1, Const. Ap. “Pastor bonus”, elapsus.”

Contra hanc reiectionem Rev.dus. rec. die 11 iulii 1995 ad Congressum huius Signaturae Apostolicae provocavit.

Re rite discuss inter Cl.mos Patronos partium et Rev.dum Promotorem Iustitiae deputatum,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso quod ipse recurrens declarat Rev.dum procuratorem mandatum habuisse omnia in ordine ad recurrendum perficiendi: “it was my understanding that as Procurator Rev. Procurator could and would handle any and all matters pertaining to my Appeal if and when they were forthcoming” (cfr. litterae currentis ad eius Cl.mam Patronam diei 24 octobris 1995);

Animadverso quod, quidquid est de natura iuridicia litterarum a Rev.do procuratore ad Congregationem pro Clericis die 6 ianuarii 1995 datarum necnon illarum ipsius Congregationis diei 16 ianuarii 1995 quas Rev.dus. Procurator die 7 februarii 1995 accepit, ipse Rev.dus. proc., non obstante absentia recurrentis, possibilitate necnon facultate gaudebat agendi et recurrendi nomine Rev.di. rec.;

Perspecto quod Rev.dus procurator, nullo impedimento detento nullaque ignorantia excusante, hac facultate in ordine ad recurrendum nonnisi die 22 martii 1995 usus est, id est quocumque in casu extra terminum peremptorium, de quo in art. 123, §1, Const. Ap. “Pastor bonus”;

Re sedulo examini subiecta in Congressu, coram infrascripto Card. Praefecto die 18 aprilis 1996 habito,

decrevit:

In decisis, seu confirmatur decretum Exc.mi Secretarii diei 10 iunii 1995.

Pro expensis retinetur summa a Rev.do recurrente apud arcam huius Supremi Fori deposita. Unaquaque pars suo Cl.mo Patrono congruum solvat honorarium.

Et notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 18 aprilis 1996.

/s/+ G. Card. Agostoni
Prefect

/s/ + Zenon Grochowski
Secretary